

# CASUS DE EXTREMA UNCTIONE

## SEU

*De materia, forma, Ministro, subjecto et obligatione Extremæ Uctionis.*

### CASUS I.

#### MATERIA EXTREMÆ UNCTIONIS 1°.

ARGONTIUS, Parochus, repente in medio prandio advocatur ad succurrendum MARCO, qui in subitam agoniam incidit. Dum ipse recta properat ad eum absolvendum, mittit RUFUM, Vicarium suum, ut Oleum sanctum quam citissime afferat. Vix confessionem morientis quoquo modo excepit, absolutionemque ei impertivit, ecce adest Vicarius Oleum deferens. Parochus tunc timens ne tempus deficiat singulis unctionibus ordine peragendis, mandat RUFU ut inferiores partes ægri perliniat, dum ipse superiores inungit. Uterque autem singulas formas unctionum proprias adhibuit. Deinceps, dum MARCUS adhuc viveret, nescio quæ dubitatio Parochum incessit, utrum scilicet tali modo Sacramentum licite et valide fuisset administratum. Ut angoribus finem imponeret, ipse solus Sacramentum iterare statuit. Re autem perfecta, ecce nova dubitatio et anxietas major ipsi supervenit. Etenim, dum attentius in sacrum vasculum oculos converteret, perspexit cum stupore Oleum catechumenorum loco Olei infirmorum per errorem a Vicario fuisse allatum. Quapropter dubitat iterum de valore Sacramenti jam bina vice collati. Mandat statim RUFU, ut Oleum infirmorum afferat. Properat quidem ille, sed antequam revertatur moribundus efflat animam, et gemebundus recedit Parochus.

HINC :

- QUÆR. 1° *Qualis sit materia valida Extremæ Uctionis?*  
2° *An fuerit validum Sacramentum cum Oleo catechumenorum?*  
3° *An fuerit a duobus ministris valide et licite collatum, prout in casu?*  
4° *Quid, si unus formam proferret, dum alter ungeret?*

SOLUTIO :

785. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Materia remota Extremæ Uctionis est Oleum ab Episcopo benedictum. Constat ex *Conc. Trid. sess. 14, de Extrema Uctione*. Materia vero proxima est unctio quarumdam partium corporis, quæ sunt saltem quinque sensus. *V. Comp. n. 674.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Controvertitur. *Duplex est sententia probabilis*, ait *S. Lig. n. 709*. Hinc in praxi tutius est omnino sequendum, si casum excipias necessitatis, in quo, deficiente Oleo infirmorum, Chrisma vel Oleum catechumenorum adhibendum est. *S. Lig. ibid. — V. Comp. n. 677.*

786. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Valide et licite Extrema Uctio collata est a duobus ministris in casu :

1° *Valide*, quia Sacramentum illud ex pluribus unctionibus et verborum formis dividuis coalescit, ita ut unctio quælibet cum sua forma particulari habeat significationem integram, et ab alia forma independentem aptamque ad suum effectum producendum; quare nihil obstat, quominus vel *successive* vel *simul* a pluribus ministris confici possit.

2° *Licite*, quia, posito Sacramenti valore, periculum ne infirmus decedat antequam omnes unctiones perficiantur, licitum efficit ut eodem tempore minister unus superiores partes inungat, dum alter inferiores inungit: id tamen extra necessitatis casum absque culpa gravi fieri non potest, quia est contra ritum gravem et praxim Ecclesiæ. *S. Lig. n. 724. — Voit, n. 906. — Suarez. — Lugo, etc.*

787. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Invalidum foret Sacramentum. Ratio est, quia idem Sacerdos orare et ungere debet, ut patet ex epistola S. Jacobi: *Orent super eum (infirmum) ungentes eum Oleo*. Constat etiam ex constanti praxi Ecclesiæ. *Voit, n. 905.*

### CASUS II.

#### MATERIA EXTREMÆ UNCTIONIS 2°.

SABANUS, Sacerdos, repente ad moribundum vocatus, dum festinaret quam citissime, erravit quoad Oleum, et ægrotum sacro Chrismate perlinivit. Dum vasculum claudit, obstupens ad errorem advertit. Dubius hæret an sit Sacramentum iterandum. Ad tutiorem partem amplectendam propendit. Verum vix unctionem oculorum peregerat, cum advertit ægrotum ita deficere ut nullum amplius vitæ signum in illo appareat. Quapropter reliquas unctiones omittit. Sed ecce! posito aliquo intervallo, exclamant adstantes mulieres: *Vivit! adhuc vivit!* Attonitus respicit Sacerdos, et cernit ægrotum reapse respirare et oculos aperire. En nova difficultas. Quid tu ipsius loco? Ipse vero, dubio perpenso, unctiones jam prius factas non sine angore repetit, cæteras subinde adjecturus; sed vix sequentem unctionem incæperat, cum absque ullo dubio æger decedere videtur. Tunc ad tutius SABANUS unctiones reliquas perficit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An validum fuerit Sacramentum cum Chrismate collatum, vel an iterandum fuerit?*  
2° *An recte SABANUS unctiones oculorum iteraverit, cum advertit ægrotum non esse mortuum?*  
3° *An recte cæteras unctiones ultima vice prosecutus sit?*

QUÆR. 4° *Quid agendum fuisset SABANO, si advertisset tempus deficere ad omnes unctiones faciendas?*

5° *Quænam unctiones sint essentielles?*

SOLUTIO :

788. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* *Controvertitur.* Duplex est sententia probabilis. *Affirmant* alii, quia est Oleum ab Episcopo benedictum; *negant* vero alii, quia non fuit benedictum in ordine ad Extremam Unctionem. Ergo in praxi tutior pars sequenda est. Ergo SABANUS Sacramentum iterare debuit. *Recolenda dicta in casu præcedenti, ad quæstionem secundam. — Vide Comp. n. 677.*

789. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Distinguendum est : recte egit, si intervallum ab unctione oculorum fuerit longum, v. g. unius horæ, quia non potest tunc dari connexio moralis inter prædictas unctiones et sequentes. Licet enim singulæ unctiones cum forma propria significationem ab aliis unctionibus independentem habeant, ordinari tamen debent ad earum complementum, et Sacramentum, juxta sententiam communioem, in ultima tantum unctione perficitur, quia ex omnibus unctionibus simul sumptis constat. Variæ igitur partes ejusdem Sacramenti nimis distarent a se invicem. Deficiente vero unione morali inter varias unctiones, corrumpit Sacramenti validitas. Secus dicendum si breve tempus ab unctionibus oculorum effluerit, ob oppositam rationem. In dubio tutior pars sequenda est. *Gobat, n. 878. Tambur., etc.*

790. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Male egit SABANUS, reliquas unctiones ultima vice prosequendo, stante certitudine morali de morte hominis. Tutior pars sequenda quidem est in dubio an subjectum sit Sacramenti capax, non vero quando de incapacitate constat : porro mortuus non est subjectum capax ullius Sacramenti.

791. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* SABANUS advertens tempus deficere, aut probabiliter defecturum ad omnes unctiones faciendas, debuisset facere sub conditione unctionem unicam in aliquo sensu, et melius in oculis (imo consultius in capite, e quo omnium sensuum nervi descendunt, ait *Benedictus XIV*), exprimendo omnes sensus in genere, et deinde singulos in particulari, sequenti modo : *Per istam sanctam unctionem... indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum.* Præmitti debet verbum *deliquisti*, quia, si proferatur in fine et interim æger moriatur, nullum est Sacramentum. *S. Lig. ibid.* Si autem æger supervivat, unctiones in singulis sensibus cum forma propria repetendæ sunt; et si dubium sit an æger vivat, unctio prosequenda est sub conditione : *Si vivis, per istam sanctam unctionem...*, etc. *Rit. Rom.*

792. — *R. ad 5<sup>m</sup> Quæ.* Unctiones quinque sensuum videntur esse essentielles, seu de necessitate Sacramenti, saltem probabilis. Ita *communiter Theologi*, cum *S. Thoma, Suppl. q. 32, art. 5*, ubi docet unctionem quinque sensuum esse *quasi de necessitate Sacramenti*. Ratio est, quia, licet ex verbis *D. Jacobi* et *Conc. Trid.* non fiat mentio plurium unctionum, sic tamen colligitur ex usu Ecclesiæ et communi Doctorum sensu. Hanc sententiam *S. Lig. n. 710, communiorem et tutiorem* vocat. Oppositam tamen dicit speculative probabilem, seu unicam unctionem de essentia Sacramenti sufficere.

## CASUS III.

## MINISTER EXTREMÆ UNCTIONIS.

PHILEMON Parochus, 1° alias ex incuria, alias urgente moribundi periculo, Extremam Unctionem ministrat sine stola, vel sine superpelliceo, vel sine lumine, aut etiam sine ministro, imo aliquando his omnibus simul prætermisissis. — Facile etiam, brevitatis causa, varias omittit orationes, nec inungendo attendit ad cruces efformandas, neque ad servandum unctionum ordinem. — 3° Si Oleum sacrum ipsi deficiat, guttulis illius reliquis magnam copiam olei non benedicti infundit, quia, ait, sicut modicum fermentum totam massam corrumpit, ita etiam modicum Oleum sacrum magnam olei copiam consecrat. Alias Oleum superfluum anni præteriti de industria servat, ut eo in casu necessitatis utatur. — 4° Si Viaticum simul cum Extrema Unctione ministrandum est, hoc vel illud indiscriminatim præponit.

HINC :

QUÆR. 1° *Quinam ritus in Extrema Unctione servandus sit?*

2° *An in necessitate Sacerdos ægrum ungere valeat sine veste sacra, et ritu alias præscripto?*

3° *An Eucharistia prius, aut Extrema Unctio ministranda sit, quando utrumque Sacramentum eodem tempore conferendum est?*

4° *An, vel quomodo in singulis PHILEMON peccaverit?*

SOLUTIO :

793. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1° Sacerdos debet esse indutus superpelliceo et stola violacea. 2° Debet adesse Clericus inserviens saltem unus ad deferendam aquam benedictam, aspersionum, necnon ad variis orationibus respondendum, etc. 3° Recitandæ sunt orationes a Rituali præscriptæ. *Sic in Rituali Romano.* 4° Debet etiam adesse lumen, saltem tempore collationis Sacramenti; sic ex consuetudine universali. 5° Unctiones fieri debent per modum crucis, ut jam dictum est.

794. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* *Affirm.* saltem *probabilis.* Ratio est, quia, licet illud Sacramentum forte non sit necessarium, est tamen valde utile; quare non præsumitur quod Christus, qui illud instituit in subsidium infirmorum in ultimo agone pugnantium, voluerit eos potius tanto bono privari, quam aliquem ritum omitti. Præterea communiter admittitur posse ministrari Viaticum sine ulla veste sacra, urgente necessitate : ergo a fortiori Extrema Unctio, quæ minus est necessaria et minorem requirit solemnitatem, cum minor sit ejus dignitas. Ita *communiter* contra *phures.* — *Lacroix, n. 2116. — S. Lig. n. 726.*

795. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Eucharistia priori loco ministranda est, ex praxi Ecclesiæ et Rituali Romano; attamen inversio peccatum veniale non

excedit, juxta *Suarez, Lacroix et alios*. Stante autem aliqua justa causa, inversio omni culpa vacabit.

796. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* 1° PHILEMON nullum peccatum commissit, varias orationes et varios ritus accidentales et vestes sacras, urgente necessitate, omittendo. *S. Lig. n. 724 et 728.* — 2° Peccavit mortaliter, præter casum necessitatis, omittendo sive orationes varias, sive vestes debitas, sive plerosque ritus præscriptos. *S. Lig. ibid.* — 3° Peccavit etiam mortaliter, magnam quantitatem olei non benedicti cum parva quantitate Olei sacri miscendo, et invalide Sacramentum ministravit, cum invalidam materiam adhibuerit. Licet quidem oleum non benedictum in Oleum sacrum infundere in casu necessitatis, sed semper in minori quantitate, et tunc revera tota Olei quantitas est vere consecrata. *S. Lig. n. 708.* — 4° Peccavit autem venialiter, omittendo aliquas breves orationes, aliquosque ritus non essentielles: v. g. non adhibendo lumen, ministrum, signum crucis, etiam in unctionibus, vel ordinem unctionum invertendo, etc. *S. Lig. n. 726, 727, 728.* De peccato veniali etiam arguendus est, ex eo quod Extremam Unctionem sacro Viatico præmiserit, ut sequitur ex dictis in responsione ad 3<sup>m</sup> *Quæst.* Attamen, stante aliqua causa etiam mediocri, id omni peccato vacaret.

## CASUS IV.

## UNGENS UNGENDUS!...

TUSSANUS, Parochus, repente ad moribundum inungendum accersitur. Ocius bonus Pastor præsto est, et alacriter properat, ut oviculæ suæ in extremis versanti succurrat. Sed, heu! nesciebat ipse se prius e vita cesurum esse! Ecce vix unctiones oculorum alteriusque auris perfecerat, cum responsum mortis in seipso audit! Vox faucibus hæret, adstantes primum respicit, quasi ab eis auxilium impetraturus; sed mox oculos in altum erigit, utpote in solo Deo spem ponens, et corruit examinis, ictu apoplexiæ prostratus! Extemplo accersitur Parochi Vicarius, qui adveniens nescit cuinam moribundo prius succurrendum sit, nec utrum repetendæ sint unctiones jam a Parocho priori moribundo factæ.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid faciendum, si Sacerdos in mediis unctionibus deficiat?*  
2° *Cuinam moribundo prius succurrere debuerit Vicarius?*

SOLUTIO :

797. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Si adsit præsens alius Sacerdos, vel si statim advocari possit, hic supplere debet unctiones quæ remanent, ne Sacramentum complemento suo careat; sed repetere nequit unctiones jam factas, quia non deest unio moralis inter illas unctiones et sequentes. Si alius Sacerdos haberi nequeat, nisi interjecta notabili mora, v. g. quadrantis, omnes unctiones sub conditione repetendæ sunt. *S. Lig. n. 724, in fine.* — *Lacroix, n. 2098.* — Si intervallum esset unius horæ, vel amplius, modo absoluto unctiones repetendæ forent. *Recole dicta casu 2, ad 2<sup>m</sup> Quæst.*

In casu Vicarius, qui supponitur statim adfuisse, non debet iterare unctiones oculorum, neque unctiones aurium, si Parochus integram formam correspondentem protulerit, quia unica unctio integram habet significationem. Sed in tali eventu difficile constare potest, utrum formam aptam perfecit; quapropter Vicarius debuit sub conditione unctiones aurium iterare.

798. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Vicarius debuit prius succurrere Parocho, tum quia ex casu videtur versari in majori vitæ periculo, tum etiam quia alter moribundus forte jam fuit valide inunctus, licet non omnes unctiones receperit, cum probabiliter unica unctio sufficiat, ad Extremam Unctionem valide conferendam.

## CASUS V.

## SUBJECTUM EXTREMÆ UNCTIONIS 1°.

1° SYLVINUS, Parochus, advocatur successive ad plures ægros sacro Oleo inungendos, scilicet: 1° ad TITUM qui a tribus annis in amentia versatur; 2° ad CAIUM sensibus destitutum, quem scit scientia privata versari in statu peccati mortalis, cujus reus evasit antequam usum rationis amitteret; 3° ad puerum septennem, de quo dubitat utrum ad rationis usum pervenerit, necne. His omnibus SYLVINUS denegat Sacramentum infirmorum, quia non videntur hujus Sacramenti capaces.

2° ROGERIUS, Sacerdos, cum baptizasset JACOBUM judæum adultum, periculoso morbo laborantem, dubitat an possit eundem Oleo infirmorum ungere. Varios interrogat socios, qui in varias abeunt sententias.

HINC :

QUÆR. 1° *Quale sit subjectum capax Extremæ Unctionis?*  
2° *An recte SYLVINUS Extremam Unctionem denegaverit ægris in casu recensitis?*  
3° *An possit dari Extrema Unctio adulto infirmo statim post Baptismum?*

SOLUTIO :

799. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Subjectum Extremæ Unctionis est omnis homo peccator de vita periclitans. Constat ex verbis S. Jacobi, 5, 14: *Infirmitur quis ex vobis...* et ex *Conc. Trid. sess. 14, c. 3.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* SYLVINUS, Parochus, in omnibus erravit: 1° Erravit quoad TITUM a tribus annis amentem. Amens enim qui non fuit perpetuo talis, est homo peccator; ergo in vitæ periculo est subjectum capax Extremæ Unctionis. 2° Erravit quoad CAIUM adultum et sensibus destitutum, ob eandem rationem. Nec obstat quod ille in statu peccati mortalis versatus fuerit, priusquam sensibus destitueretur; nam potuit elicere actum contritionis antequam usu rationis privaretur, et potuit etiam hic et nunc usu rationis gaudere, licet videatur sensibus carens. 3° Erravit quoad puerum: ratio est, quia Parochus vi sui muneris tenetur Sacramenta præbere ovis suis quoties oves indigere possunt, et Sacramen-

tum sine irreverentia accipere valent; his enim conditionibus positis, oves jus habent ad Sacramenta, vel absolute recipienda, si sint absolute capaces, vel conditionate, si sint dubie capaces. Atqui ex una parte Extrema Unctio potest sine irreverentia puero prædicto conferri, et ex alia parte puer ille potest ea indigere ad abstergendas peccatorum reliquias, cum dubium sit an usum rationis habeat, et proinde an peccaverit, necne: ergo injuste Sacramento infirmorum a Parocho privatus est. *S. Lig. n. 719.*

800. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* Ratio est, quia per Baptismum non absteruntur omnes reliquiæ actualium peccatorum ante Baptismum commissorum, prout sunt torpor, proclivitas ad malum, etc., licet deleantur omnia peccata omnesque peccatorum pœnæ. *S. Lig. n. 721, et alii communiter.*

## CASUS VI.

SUBJECTUM EXTREMÆ UNCTIONIS 2<sup>o</sup>.

SYNESIUS, vir valde pius, monitus fuerat a duobus medicis valde peritis ut valetudini suæ attenderet; verendum enim erat, ne subito ictu apoplexiæ extingueretur. Millenas ipsis gratias agens sibi quamprimum consulere voluit, et, ne privaretur gratia Extremæ Unctionis, aut ne mente captus eam reciperet, enixe Parochum rogavit ut Sacramentum infirmorum sibi conferre vellet. Boni viri votis annuit benevolus Pastor; sed, re perfecta, dubitavit utrum valide Extremam Unctionem SYNESIO ministraverit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An SYNESIUS inungi potuerit?*

2<sup>o</sup> *An Extrema Unctio conferri possit infirmo in periculo probabili tantum mortis?*

3<sup>o</sup> *An in mero dubio periculi gravis?*

SOLUTIO :

801. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Negandum videtur. Sacramentum enim Extremæ Unctionis valide conferri nequit, nisi adsint signa externa proximi periculi mortis. Porro illa signa in nostro casu non vere apparent, licet medici ex physiognomia judicarent hominem apoplexiæ obnoxium esse. Non apparet enim signum externum morbi gravis, forte jam imminens. Secus tamen dicendum foret, si talia signa morbi gravis intus latentis cernerentur. *Gobat, n. 875.*

802. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* Ratio est, quia ad hoc Sacramentum ministrandum valide et licite sufficit si infirmus labore morbo ita gravi, ut prudenter existimetur versari in periculo mortis; sæpius autem judicium prudens non nisi meram probabilitatem exhibet. Hæc sententia est communis, et vera, ait *S. Lig. n. 714.* Etenim, cum Christus collationem hujus Sacramenti hominibus reliquerit, credendum est sic eam reliquisse, ut illud concedere possint infirmis qui probabiliter judicantur in periculo

mortis versari. Hæc autem præsumptio confirmatur: 1<sup>o</sup> ex Decreto Eugenii IV supra relato, ubi dicitur « de cujus morte timetur; » 2<sup>o</sup> ex Rituali Rom. : « Debet hoc Sacramentum præberi infirmis qui tam graviter laborant, ut periculum mortis imminere videatur. »

803. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Neg.*, quia præceptum est, ne aliis quam vita periclitantibus ministretur. Ergo requiritur ut adsit vera probabilitas, seu prudens timor mortis. *S. Lig. n. 714, in fine.* Attamen, si Sacerdos nesciat efformare judicium de gravitate morbi, nec peritiores consulere possit, dubitet autem de proximo mortis periculo, propendere debet in Sacramentum conferendum, quia tunc recte applicatur axioma : *Sacramenta propter homines.*

## CASUS VII.

1<sup>o</sup> VETULA INUNCTA.

AGHATIUS, Sacerdos, vocatus ad TERSILIAM, vetulam octogenariam, annorum pondere potiusquam infirmitate gravatam, absolutionem et Eucharistiam ei impertivit. Sed quia longo itinere distabat Ecclesia, ne alias eandem viam metiri cogeretur, Extremam Unctionem ei ministravit, quamvis nullum indicium proximæ mortis in ea deprehendi posset.

2<sup>o</sup> PUERPERA OLEO INFIRMORUM ROBORATA.

BLANDINA, mulier puerpera, partus dolores prima vice patiens, se reputat ad extrema perductam, et enixe rogat Parochum ut quam citissime Oleo infirmorum ab eo illiniatur. Bonus Pastor, illius lacrymis et ejulatus commotus, ejusdem votis illico morem gessit, sed postea dubitavit utrum recte egerit.

3<sup>o</sup> CAPITE DAMNATUS*Extrema Unctione munitus.*

SIFREDUS, homicidii reus, et ideo capite damnatus, dolore patratu criminis interius tactus est. Peracta confessione, acceptaque S. Eucharistia, etiam Sacramento moribundorum confortari voluit, ideoque instanter beneficium illud postulavit. Votis autem ejus annuit carceris Capellanus.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An vetula valide et licite potuerit inungi?*

2<sup>o</sup> *An BLANDINA puerpera?*

3<sup>o</sup> *An SIFREDUS, capite damnatus?*

SOLUTIO :

804. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* 1<sup>o</sup> Potuit vetula inungi valide. Ratio est, quia juxta commune adagium *Senectus ipsa morbus est*; proptereaque magno annorum pondere gravati in continuo mortis periculo versantur. Multiplici enim experientia constat multos, solo senio confectos, absque alio speciali morbo exspirasse. Præterea, ut Sacramentum illud

ministretur, sufficit periculum probabile mortis, ut supra dictum est. Multo minus differendum est Sacramentum illud usque ad ultimum infirmi halitum, cum ad ægrotos allevandos secundo institutum fuerit. *Elbel*, n. 56. — 2º Potuit etiam inungi licite, aspectis præsertim casus circumstantiis, scilicet, ratione habita ad locorum distantiam et difficultatem. Quod enim est validum, facile fit licitum, imprimis causa gravi urgente. Ergo ACHATIUS minime est inquietandus.

805. — *R. ad 2º Quæst. 1º Nego*, si mulier in hoc partu communibus tantum doloribus laboraverit, etiamsi prima vice pareret. Ratio est, quia non adhuc periculosa infirmitate laborabat. *Ita communiter Theologi cum S. Lig. n. 713, in fine.* — 2º Secus vero, si mulier jam cœperit gravissimis et extraordinariis doloribus contorqueri, ita ut jam actu in proximo mortis periculo versaretur. Ratio patet; tunc enim revera jam periculose infirma fuisset. *S. Lig. ibid.*

806. — *R. ad 3º Quæst. Nego.* Ratio est, quia Extrema Unctio non fuit instituta pro bene valentibus, sed pro infirmis tantum, ut patet ex verbis S. Jacobi: *Infirmatur quis in vobis.....* Porro capite damnatus, licet morti proximus, non tamen est infirmus, nec ob infirmitatem moriturus. *S. Lig. n. 713.*

## CASUS VIII.

## OBLIGATIO EXTREMÆ UNCTIONIS.

LAMPRIIDIUS, graviter decumbens renuit suscipere Extremam Unctionem licet libenter fuerit confessus et sacro Viatico refectus; credebatur enim se moriturum fore, si Oleo infirmorum inungeretur. Quapropter cognati LAMPRIIDI enixe Parochum rogarunt ut exspectaret donec æger gravi sopore oppressus detineretur, vel usu rationis vi morbi destitueretur. Insulis eorum votis indulsit plus æquo obsequens Sacerdos. Cum LAMPRIIDIUS mox in delirium incidisset, se accinxit ad eum Oleo sacro liniendum. Verum, ubi propius accessit, infirmus vasculum in quo S. Oleum continebatur de ejus manibus excussit, et horribiliter ejulans in phrenesi exstinctus est.

HINC :

- QUER. 1º *An gravis sit obligatio Extremam Unctionem suscipiendi in gravi mortis periculo?*  
 2º *An graviter peccent parentes vel cognati, qui negligunt Sacramenti illius recipiendi occasionem suis præstare?*  
 3º *An graviter peccet Parochus, si ex ejus incuria parochiani absque Extrema Unctione decedant?*  
 4º *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

807. — *R. ad 1º Quæst. — Controvertitur.* Duplex est sententia probabilis. *Negant S. Thom., Billuart et alii communius, imo communiter, ait*

*S. Lig. n. 733.* Sed opinio affirmans, ratione præsertim caritatis erga seipsum, enixe est suadenda. *V. Comp. n. 692.*

808. — *R. ad 2º Quæst. Affirmative*, saltem quoties ægroti cupiunt illud Sacramentum suscipere, vel cuperent, si de gravi suo periculo admonerentur. Ratio ex principio generali caritatis deducitur. Tenemur enim, sub gravi, proximo indigenti auxilium spirituale valde notabile præstare, cum facile possumus. Hoc autem a fortiori valet, quando de proxime cognatis agitur. Constat etiam ex Catechismo Romano, *de Extr. Unct. n. 18*, ubi dicitur: *Gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungenti observare solent, cum, jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipit.*

809. — *R. ad 3º Quæst. Affirm.* Pastor enim ratione officii tenetur ministrare Sacramentum illud, saltem omnibus qui petunt, nisi justa causa excuset; secus in re gravi non præstat id ad quod ex justitia tenetur. Attamen hac obligatione non urgetur cum periculo vitæ, v. g. tempore pestis, si peste infecti jam confessi et absoluti fuerint, vel non censeantur in statu peccati mortalis versari. *S. Lig. n. 729.*

810. — *R. ad 4º Quæst. 1º LAMPRIIDIUS* graviter peccasse videtur, non quidem contra præceptum recipiendi Extremam Unctionem, cum de præcepto non certo constet, sed contra veritatem Fidei, scilicet, credendo false per hoc Sacramentum mortem accelerari, nisi forte aliqua bona fide excusetur. *Elbel, n. 31.*

2º Parochus non debuisset parentes audire, sed potius curare ut ægrotum suaviter disponeret ad voluntariam Sacramenti susceptionem. Hoc autem facile obtinisset, si LAMPRIIDIUS fuerit bonæ voluntatis. Si autem fuerit perversus et suæ salutis incuriosus, omittenda fuisset Extrema Unctio, quia æger ita dispositus exiguum fructum ex Sacramento percipisset. *Elbel, n. 58.* Quod si æger absolute quidem, sed per errorem ex bona fide ortum, visus fuisset nolle Sacramentum, potuisset inungi in delirio, quia revera tunc Sacramentum velle implicite, seu in quantum mortem non adducit, censeri poterat.